

1539 que conferrent , Hispani ad unum omnes cæsi fuere , inter quos Sarmentus ipse , dum strenui ducis , ac militis opera fungitur , tribus sagittis confixus occubuit . Hoc successu Arius præfectus , quique in arcem confugerant , perculsi , & perterrefacti , cum impares se ad obsistendum victori hosti animadverterent , vitam , & libertatem pacti , se Aheneobarbo dedidere . Barbarus statim miserrima servitute ad triremium transtra omnes adegit , fractæ fidei prætexens , illos a prætorianis militibus , quorum præda essent , se commisse . Hunc exitum Neocastri expugnatio habuit , atque ex quatuor Hispanorum millibus , qui in oppido præsidio erant , nemo non irati Numinis meritam ultionem persensit , singulis morte , aut captivitate facinorum poenas luentibus , quibus per multos annos in Italia dimicando , innoxios populos afflixerant , Romanamque urbem impie , ac fœde diripuerant .

*Turca, præsidio deleta, Neocastrum capiunt, & arcem deditione recipiunt.*

*Rhisanum a Chariadeno occupatum.*

*Chariadenus a Joanne Matthæo Bëbo Ascrivio deditio nem petit .*

*Joannis Matthæi Bembi ad Chariadenum responsum .*

*Turcica triremes ab Ascrivienfibus male habitæ .*

Neocastro occupato , haud difficile Chariadeno fuit Rhisano potiri : nam eo promotis copiis , cum neque munitionibus , neque militum præsidio hostium impetum sustinere posset , Aloysius Zannius oppidum Turcis tradidit . Exinde annuentis victoriæ cursu intumescens barbarus , Ascrivio inhiare cœpit ; atque ad Joannem Matthæum Bembum , Præto rem , literas dedit , quibus ad sibi dedendam urbem minaciter , ac superbe sollicitabatur . Erat Bembus præalto animo præditus , egregiaque virtute , ac singulari constantia imperterritus . Is Chariadeno barbaricæ petulantia impatiens in hunc modum respondit : *Rempubicam Byzantium oratorem pro instauranda cum Suleimano pace , induciis pactis , misisse : videret , ne temere jure gentium violato , eodem tempore & Galliarum Regem , qui ea de causa nuntium Byzantium proficisci jusserat , Venetamque Rempubicam offendens , suum Regem nefario piaculo obstringeret : sed cum nullum in Ascrivio jus Suleimano esset , si tanta cupido occupandæ urbis incessisset , vim experiretur , in certamen descenderet : daturum operam , ut per summum scelus illatam injuriam fortiter ulcisceretur .* Interim Bembus , quæ ad urbem firmandam necessaria erant , sedulo curare ; civium , ac propugnatorum animos confirmare ; tormenta disponere ; totumque se ad excipiendum hostis impetum com-